

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

populum suum in deserto sustentavit, dabat enim iis Man, quod erat quasi semen Coriandri, album, gustusque ejus quasi similæ cum melle, Exod. 16. v. 31. omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suavitate, Sap. 16, 20. idcirco panis Angelorum, Pl. 78. v. 26 & elca angelorum, Sap. 16. v. 20. appellatur, sive quod ab Angelis paratus fuerit, sive ratione suavitatis, ut etiam Angelico delectarentur, si cibi & potûs indigerent.

Pari modo in prælecto Evangelio audimus, de magna cœna, quam Deus cœlestis Pater Ecclesiæ suæ in his terris apparavit, in qua non Manna Israelitarum: sed panis vitæ proponitur, de quo ipse Christus, Joh. 16. v. 4. & seqq.

2. *Ratione malitiosæ repudiationis.* Israelitæ cogitabant, si carnes, cucumeres & pepones, porrum & cepe & allia, loco Manna haberent, quibus in Ægypto adlueti fuerant, se hæc libentius esse suos, quam Manna, propterea quoque vocarunt cibum levissimum: Idem evenit filiis hujus seculi, quando à patre cœlesti ad magnam suam cœnam invitantur, ut semper carnes Ægyptiacas respiciant, & in concupiscentia carnis, concupiscentia oëulorum, & superbia vitæ, quæ in mundo sunt, vivere, 1. Joh. 2, 16. quam in Domino delectari. Psal. 37. v. 4. & bonum Dei verbum gustare, malint, Hebr. 6. v. 5. quod tamen dulcius est super mel & favum, Psal. 19. v. 11. & potentia Dei ad salutem. Rom. 1. v. 16.

3. *Ratione divinæ indignationis.* Furor enim Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis, accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. Num. 11. v. 13. Reliquis moriendum erat in Ægypto, ut ex o-

mnibus, qui Ægypto egressi erant, nemo nisi Josua & Caleb, Palestinam ingrederentur. Sic audimus in Evangelio, quod Deus iram suam velut ignem succendat, & contemtoribus cœnæ suæ omnem gratiam deneget, quod nemo virorum istorum qui vocati sunt, gustaturus sit cœnam suam. Sir. 3. v. 7.

Nos methodo nostræ inhærentes, ad prælectum Evangelium nos accingemus ex eodem meditaturi.

I. Ἀνθρωπολογίαν, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστολογίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exegesis.

Domine, magna est super cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua, ait Regius Psaltes, Pl. 108. v. 5. Qualis hæc misericordia sit, in prælecto Evangelio audimus, sub parabola de cœna magna, quam Pater cœlestis initio duntaxat pro Judæis paraverat: quia vero illi venire noluerunt, emisit servos suos, ut pauperes ac debiles, & coecos & claudos introducerent. *Hi erant Ethnici*, qui alienati erant à rep. Israël, Eph. 2. v. 12. sed quasi ad sepes jacebant, & in viis errabant, sine Christo & sine Deo, Eph. 2. v. 12.

Viraque magna est misericordia, quæ usq; ad cœlos pertingit, Deus enim nemini quicquam debet, sed quicquid facit in Judæis & Ethnicis, id omne ex mera misericordia facit. Gratia salvati est s. Eph. 2. v. 8.

Virumq; testimonium firmissimum est veritatis ejusdem. Promisit enim, se omnibus populis facturum esse convivium pinguium Esa. 25, 6. Hoc & præstitit, ad idemq; Judæos & Ethnicos invitari fecit. Judæos per electum suum servum Messiam, qui ipse

ipse dicit, se non missum, nisi ad perditas oves domus Israel, Matth. 15, 2. Ethnicos vero ministerio Apostolorum, qui euntes in mundum universum, Evangelium omni creaturæ prædicaverunt, Marc. 16, 15. Sicut igitur de Judæis dictum: sic non fecit omni nationi, Psal. 147, v. 20. Ita similiter de Ethnicis dici potest: sic non fecit Judæis qui fracti sunt, propter incredulitatem, Rom. 11, v. 20. Ethnici vero sunt genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Pet. 2, 9.

Nos hinc anam capimus ad *Notitiam nostri* perdiscendam, quando intuemur:

1. *Cœna magnificentiam*; nam homo quidam fecit coenam magnam. Hoc parabolice intelligendum est de Deo, patre coelesti, Deus enim ratione essentia suæ spiritus est, Joh. 4, v. 24. spiritus vero carnem & ossa non habet, veluti homines, Luc. 24, 39. Ideo ipse ait: Deus ego & non homo, Ose. 11, v. 9. Sed introducit hic sub imagine hominis, ad indicandam humanitatem ejus, cujus delicia cum filiis hominum, Prov. 8, 31. Jer. 32, v. 41.

De hoc *εὐαγγέλιον* ait Christus, quod coenam magnam paraverit, quæ est coena gratiæ, sive concio Evangelii, in qua nobis coelestes thesauri & bona, quæ Christus perfecta obedientia sua acquisivit, & peperit, exhibentur, offeruntur, & donantur. Et quidem coena vocatur, quia proxime ante finem mundi, & ita tempore ultimo parata est, 1. Cor. 10, 11. Joh. 2, v. 18.

Quemadmodum itaque mercenarius, qui dici pondus & æstum portavit Matt. 20, v. 12. desideranter coenam anhelat, eaque sumta vires prostratas recolligit: sic etiam suavissima Evangelii concio, corda nostra

delassata reficit, ut mutemus virtutem, Esa. 40, v. ult. eaque ad salutem conservemur. Rom. 1, v. 16.

Deinde etiam *cœna magna* vocatur, cum *ratione autoris*, cujus fortitudo, robor & virtus tanta, ut neque unum deficiat, Esa. 40, v. 26. tum *ratione effulorum*, ibi enim exhibetur nobis gratia Dei, meritum Christi, remissio peccatorum, justitia, quæ coram Deo valet, uno verbo: Christus ipse, magnus ille propheta, Luc. 7, v. 16. qui nos à peccatis, morte, diabolo & inferno redemit, & sic magnificavit facere nobiscum, Psal. 126, 3. præterea etiam *ratione invitatorum*,

neque enim saltem instructa est pro electis: sed pro omnibus hominibus, 1. Timoth. 2,

v. 4. *porro rade dicitur, quod dicitur, ad invitandum seculi, quales carni magister hinc dicitur parare*

Hic examina te, an insignem hanc Deo gratiam, quam hac in parte universo generi humano exhibuit, recte ad animum tibi unquam revocaveris, & Deo gratias egeris?

Quando alias hospes quidam à Viro primario invitatur, magno id sibi honori ducit, & ex hoc ipso benevolentiam ejus in se colligit, uti in Haman cernere est, Esther. 5, v. 12.

Sic nos multo magis lætitia exultemus, quod Deus nos homunciones adeo dignatus ad coenam suam invitare voluerit. Hamano epulæ Regiæ exitio fuerunt, utpote qui jussu Ahasveri suspensus est, Esther. 7, v. 9. Nos vero in coena hac, quam Deus nobis paravit, non mortem sed vitam comedere debemus, & prægustum accipere, coelestis illius convivii, quod cum Abraham, Isaac, & Jacob in coelo celebrabimus, Matt. 8, v. 11. Ibi enim inebriabimur pinguedine domus Dei, Psal. 36, v. 9. comedentes quoque saturabimur, Esa. 65, v. 13.

In

In hoc mundo instituuntur quandoq;
 1. *Convivia vulpina*, sic Pharisæi Christum invitatum observarunt, Luc. 14, 1. Saul Davidem hasta configere voluit, 1. Sam. 18, 11. Eodem modo ipse David Uriam invitavit. 2. Sam. 12, 12. Hoc scriptura nominat panem mendacii, Prov. 23, v. 3.

Ejusmodi cœna hæc non est, de qua Christus in Evangelio verba facit. Quamvis enim sunt, qui Deum accusant, quod quidem omnes homines voluntate signi ad hanc cœnam invitet: quos voluntate beneplaciti repudiet: attamen exploratum nobis est, Deum optimum ejus modi hypocritam non esse, sed ut omnes invitari curat, sic etiam omnes salute frui vult. Ezech. 33, v. 11.

2. *Convivia agnina*, quæ ideo instituuntur, ut anfa sit, huic vel illi quicquam exprobandi, quæ propterea plerumque rixis & altercationibus miscentur. Sicuti autem tœdiosum est, quando canes sub mensa murmure & demum morsibus congregiuntur: sic & indecens est, si familiares, qui in bona caritate congregati sunt, invicem altercentur. Ubi zelus & contentio, ibi confusio, *καὶ τὸ πᾶν θάλλον πρᾶγμα*. Jacob. 3, v. 16.

Talis hæc cœna quoque non est. Dominus enim, qui illam apparavit, est Deus pacis, 1. Cor. 14, 33. & vult etiam, ut inquiramus pacem, & persequamur eam, Psal. 34, v. 15. Contra vero minatur contentiosis, indignationem, tribulationem & angustias, Rom. 2, 3. *Convivia lupina*, ubi alter alterum trucidat. Tale convivium instruxit Absolon, 2. Sam. 13, v. 28. item Ptolomæus, 1. Macc. 16, v. 15.

Neque talis hæc cœna est, de qua Christus hic loquitur. Deus enim non deletur in perditionibus nostris, Tob. 3, 22.

Sed sicut est *οὐκ ἔστιν*, Sap. 11, v. 17. Sic etiam filium suum ideo in mundum misit, ut omnis qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam Job. 3, v. 16. & seqq.

Hæc maxima Dei gratia est, quam Deus nobis exhibuit, ideo gratias eidem agentes dicamus cum Davide: Benedic anima mea Domino. Psal. 103, v. 2. & seqq.

Cum Pompejus II. C. Principem convivam sibi fecisset, vinum centum & sexaginta annorum ei propinabat, teste Plinio.

Vinum, quod in cœna hac præsentatur, multo antiquius est, agnus enim occisus est, ab origine mundi, Apoc. 13, v. 18. Propterea Patriarchæ & alii Fideles V. T. non sanguine hircorum aut vitulorum: sed per sanguinem uvæ, in quo Messias stolam suam lavavit, Gen. 49, v. 11. salvati sunt. Et nos quoque eodem modo salvamur, Act. 15, v. 11. Huic enim omnes Prophetæ testimonium perhibent. Act. 10, v. 43.

II. *Servorum diligentiam*. In Evangelio quidem in singulari de uno saltem servo dicitur, qui est Messias, justus Dei servus, Esa. 53, v. 11. Sed Apostoli ejus non exclusi sunt, quos ipse ablegavit, ut invitatis, h. e. Judæis, quos Deus de cunctis gentibus in populum sibi peculiarem elegerat, Deut. 7, v. 6. dicerent: Venite, omnia parata sunt. Hoc quoque omni studio fecerunt. Vos estis filii Prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, ait S. Petrus, Act. 2, v. 25, 26.

Quia vero invitati venire noluerunt, ad Ethnicos se converterunt, & loco Judæorum invitarunt, quos cunque offenderunt. Hoc post ascensionem Christi in cœlos demum factum est, ubi Dominus jussit doceri & baptizari omnes gentes, Matth. 28, v. 19.

Præ-

Præcipue verò hîc observandum venit, quod emissus servus invitatus non excuset, ut illi petierant, sed referat Domino rem, sicuti se habebat. Hoc in ipso laudandum est. Id enim requiritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur, 1. Cor. 4. v. 2.

Hic quilibet seipsum inspiciat, an pari modo, in functione sibi à Deo commissâ fidelis semper fuerit?

Sanè multi occurrunt dissimulantes & excusantes in omnibus statibus. Nos omnes & singuli servi Dei sumus, ideò creati, & à Christo redempti, ut serviamus illi in sanctitate & justitiâ coram ipso. Luc. cap. 1. vers. 75. Sed quomodo gerimus nos? Experientia pro dolor! testatur, quod in omnibus statibus defectus occurrant. Princeps postulat, & iudex propter redhibitionem. Mich. 7. v. 3.

In statu quoque Ecclesiastico sæpe conivetur, præsertim in concionibus funebribus, ubi sæpe laudibus ad cælum defuncti extolluntur. Cum tamen omnes simus peccatores, destituti gloriâ. Rom. 3. v. 23.

Neque peccata debito zelo reprehenduntur, ne offensionem unius vel alterius incurrant, cum tamen Deus sanguinem de manu Pastorum requirere velit. Ezech. 3. 18.

In communi vitâ quoque nemo non est, quin peccata sua extenuet, hâc persuasione, Deum non omnia ad rigorem exacturum esse.

Sed noliti affentari! Deus enim, cui servimus, fortis Deus zelotes est. Exod. c. 20. v. 5. nec irridetur. Gal. 6. v. 7. Propterea ne sis inobediens timori Domini, & ne accesseris ipsum duplici corde. Sir. 1. v. 35. non enim decipietur, ut homo, Hiob. 13. v. 9.

Scivit Elisa, quid famulus Gehasi clam se cum duce Syriæ Naëman egerit. 2. Reg. 5. v. 26. Quomodo Dominum quicquam fugeret, qui cordium scrutator est? 1. Reg. c. 8. v. 39. & quæ nondum facta sunt, novit, Esa. 46. v. 10. propterea nemo excusationem de peccato suo habebit. Joh. 15. 22.

III. *Hospitum negligentiam*, qui cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo, exire, & videre eam. Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideò non possum venire. Hic tres ordines hominum habemus, qui cœnæ mannae valedixerunt. Judæi probe noverant, quod cum Jesu Nazareno non multum lucrari possent. Ipse enim non habebat, ubi caput suum reclinaret, Matth. 8. v. 20. Ideò non ferebat conditio illorum, ut doctrinæ ipsius assentirentur, & hoc ipso Romanis ansam belli suppeditarent, quia jam tum metuebant, ne Romani venirent, & tollerent locum & gentem, si Jesum Nazarenum sic mitterent, Joh. c. 11. v. 48.

Hic velim probes te, annon terrena negotia, sive faceria, aut carnales voluptates, te à magnâ Cœnâ abstraxerint?

Adhuc hodie fieri amat, ut homines varias excusationes prætendant, quando in Dei cultu obeundo negligentes sunt.

Hic dicit, Deus multos agros, hortos, & vineas mihi largitus est, quorum rationem habere expedit, ut justo tempore colantur. Quomodo concioni semper interesse possem? tempus est plantandi, Eccl. 3. v. 3. quod si negligatur, res desperata est, & idem evenit, quod agro hominis pigri, & vineæ viri stulti, Prov. 24. v. 31. 32.

Alter est mercator, qui emendo & vendendo

Hh

dendo

dendo occupatus est, hic per totum annum nundinas frequentandas, præterdit, quod quia vocatio sua ita exigat, non se concionibus semper vacare posse, affirmat, nisi naufragium victus facere velit.

Tertius, se uxorem duxisse, ait, quam cum liberis alere teneatur, quod si cœlebs viveret, se templum multò diligentius invisere posse, nec dubitat, quin ratione domesticorum sustentandorum, satis excusatus habere possit, juxta illud Pauli, 1. Tim. 5. v. 8.

Hoc quidem coram mundo speciem quandam habet, utrum verò ejusmodi homo coram tribunali Christi calvis hisce excusationibus, consistere possit, cum irreparabili suo damno experietur. Quærite primum regnum Dei, ait Christus, Matth. 6. v. 33. Hæc regula limitari nequit. Anima præstat corpore, & æterna temporalibus, ita præcipua nostra cura sit, ut animæ consulamus, & vitam æternam impetremus. Divitiæ & opes in mundo manent. At bona æterna animam comitantur, qui his studet, optimam partem elegit, quæ non auferretur à nobis, Luc. 10. v. ult.

Nemo nescit, quod in templo non semper versari possimus, ideoque Deus septimum diem sanctificandum ordinavit, ut cultui suo ille consecraretur. Exod. 20. v. 8. 9.

Proindè fidelis Christianus ante omnia Sabbathum sanctificare, & illo ipso cultui divino vacare discat. Diebus verò profectis mechanici, & qui manibus suis victum quarunt, sacra inter domesticos partiantur, ut stans temporibus ædibus sacris intersint, ubi auditur vox laudis. Psal. 26. v. 7.

Quod si verò terrenis quis tantum inhæverit, facile animæ jacturam faciet. 1. Tim. 6. v. 10. 11. Matth. 36. v. 26. 1. Joh. 2. v. 17.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, 2. Cor. 13. v. 14, sive notitiam nostram pertractaturi. Hic proponitur nobis in Evangelio præsentem:

1. *Tanquam cœna magna preparator.* Qualis hæc cœna sit superius memoratum est, nempe spiritualis, in quâ mera cœlestia fercula apponuntur, quibus ad salutem carere non possumus. Christus cum merito suo sanctissimo, præcipuum obsonium est, cui annexa est gratia Dei, remissio peccatorum, Spiritus Sancti solatium, & vita æterna. Neque enim in alio quoquam salus est. Act. 4. v. 12.

Quis non hic cum Davide exclamaret: Quam pretiosa est misericordia tua Deus? Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Psal. 36. v. 8. 9. 10.

Persis magnum Regium convivium apparentibus, illi, qui admittebantur, totum annum præstolari tenebantur. Sed hic omnia parata sunt! Mensa strata, dapes illatae sunt, crateres repleti, sedilia ordine disposita sunt. Et ut iterum dicam, omnia parata sunt! Omnia parata sunt, pro tentatis propter peccata. Hic enim invenimus agnum Dei, qui portat peccata mundi. Joh. c. 1. v. 29. Omnia parata sunt, pro infirmis in fide; Reperimus enim hic inchoatorem & consummatorem fidei, Hebr. 12. v. 2. in quo omnia possumus, Phil. cap. 4. v. 13. Omnia parata sunt, pro iis, qui cŕiunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. 5. v. 6.

Nonne ingens gratia est, quod Deus tæbera misericordiæ suæ, non modò Judæis, ut in Vet. Test. verum & ethnicis præbuit, & ita ex duobus unum fecit, Ephes. c. 2. v. 14.

Nonne